



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 34. Imperii Occidentalis Occasus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

pace frui non licuerit, sed jam anno se-  
 quente 475. quo solus Consulatum gere-  
 bat, cum inter ipsum, & Socrum ejus Ve-  
 rinam, Leonis Imperatoris Viduam, fu-  
 issent exorta jurgia, timens ne ea juben-  
 te necaretur, ut furorē faminae effuge-  
 ret, in Isauriam, Patriam suam, sequente  
 Ariana Conjuge, discessit. Tum Basilis-  
 cus, Imperatricis Verinae Frater, se cum  
 filio suo Marco Imperatorem proclamari  
 jussit, & annis ferme duobus regnavit.  
 Nihilo melior erat Zenone, eumque Ze-  
 nodia in Eutylianorum partes pertra-  
 xit.

Sæculum V.  
 A.C. 475.  
 Evagr. III.  
 c. 3. Chr.  
 Marcel. Chr.  
 Pasch.

§. XXXIV.

*Imperii Occidentalis occasus.*

Dejor erat Imperii Occidentis Status. Evagr. II.  
 Anthemius cum regnasset ferme an-  
 nos quinque, Romæ undecima Julii, Fe-  
 sto, & Marciano Consulibus, id est, an. 472.  
 occisus est, facinus mandante Ricime-  
 ro, Genero suo, qui sequente decima octa-  
 va Aug. ex morbo extinctus est. Anicius  
 Olybrius, qui Constantinopoli Placidiam  
 Valentiniani III. filiam, Conjugem acce-  
 perat, Imperator Occidentis salutatus,  
 23. Octobr. e vivis abiit. Cum Solium  
 quatuor Mensibus vacasset, Glycerius  
 Ravennæ quinta Martii, anno 473. Impe-  
 ratoris Insignia, & Titulum assumpsit;  
 sed ecce! post menses quindecim depo-  
 situs,

Evagr. II.  
 hist. cap. 16.  
 Chr. Cassiod.  
 Jornand. p.  
 477.  
 Marcel. Chr.  
 Anon. Cusp.

Glycerius  
 Imperator.

Sæculum V. situs, & Episcopus Salonianensis in Dal-  
 A.C. 475. matia ordinatus est. Ipso ejecto vigesi-  
 Julius Nepos ma quarta Junii anno 473. electus est Ju-  
 Imperator. lius Nepos, regnavit Menses quatuorde-  
 cim, & in Dalmatiam 28. Aug. anno 475.  
 Romulus pulsus est. Tum Orestes Patricius, quem  
 Augustulus. Nepos ad munus Magistri Militiæ evexe-  
 rat, filium suum Romulum, seu Momy-  
 lum, alio cognomento Augustulum, Im-  
 peratorem proclamari iussit. Id Raven-  
 næ ultima die Octobris sequentis factum.  
 Decem non plus mensibus imperavit,  
 nam qui factionem Nepotis sequebantur,  
 Odoacrum Regem Turcilingorum, & He-  
 rulorum, ex Pannonia in Italiam voca-  
 runt. Is 23. Aug. anno 476. Basilisco, &  
 Harmatio Consulibus, Indictione decima  
 quarta, Roma in Potestatem redacta, Ore-  
 stem Placentiæ interfici, Augustulum ju-  
 niorem in exiguam Campaniæ urbem de-  
 portari iussit. Ita Imperium Occidentis  
 extinctum, quippe Odoacer nec Impera-  
 toris Titulum, nec Purpuram, nec cete-  
 ra Imperii insignia, sed solum Regis Ita-  
 liæ Nomen assumpsit. Reliquæ Occi-  
 dentis Partes diversis Barbarorum Regi-  
 bus subiciebantur. Africa Vandalis, Hi-  
 spania, & magna Galliæ Pars Gothicis, Pars  
 Galliæ alia Burgundis, & Francis, Magnæ  
 Britannia Pars Anglo-Saxonibus pare-  
 bant. Franci, Anglique adhucdum in  
 Idololatriæ tenebris versabantur, omnes  
 alios

alios populos, quorum nomina retuli, Sæculum V. A.C. 476  
 Ariana Hæresis infecerat. Ricimer Pa-  
 tricius, qui tam diu Romæ dominabatur,  
 Gothus erat, & Arianus. Is Oratorium  
 S. Agathæ occupaverat, in quo suæ Sectæ  
 homines conveniebant. At vero Eccle- Inscript. ap. Baron. ann. 472. Greg. III. ep. 19. & III. Dia-log. c. 30.  
 sia cunctis monstris, quæ Hæresis produ-  
 cit, superior, sicut olim in trium primo-  
 rum Sæculorum Persecutionibus, ita et-  
 iam nunc inter alternantes Regnorum vi-  
 ces inconcussa stetit.

## §. XXXV.

## S. Severinus in Norico.

Odoacer iter in Italiam faciens, ad S. S. Sev. vita Noric. apud Boll. S. Jan.  
 Severinum, celeberrimum Anacho-  
 retam, ad Danubii ripas prope Viennam  
 habitantem, invisit. S. Viri Cellula adeo  
 humilis erat, ut Odoacer, altæ admodum  
 staturæ juvenis, ingrediens inclinari co-  
 geretur, ne caput tecto allideret. S. Se-  
 verinus eidem prædixit, quantam Nomi-  
 nis Gloriam in hac Expeditione sibi esset  
 pariturus; nam abeuntem affatus est in  
 hæc verba: *Ito in Italiam, jam vili vesti-  
 mento tectus es, sed post breve tempus benefi-  
 cia in alios liberaliter dispensabis.* Post-  
 quam Odoacri Regnum in Italia firmatum  
 fuit, S. Severini vaticinium memoriam  
 subiit, datisque ad eum litteris rogavit, ut,  
 quod luberét, a se peteret. Vir Sanctus  
 petiit, ut cuidam, cui nomen Ambrosius,